

tur id a *προτασσειν*, quod significat *ordinare*, *collocare*, *ordinem discernere*. Non vero proprie ad ipsam constitutionem spectat, qua reuera quilibet eo tempore eoque loco producitur, sed potius ad decretum et consilium captum, quodnam sit tempus cuiuslibet conuenientissimum, atque vniuerso nexui omnium rerum aptissimum, licet et aliquo modo simul ipsa constitutio comprehendi eo potest, praesertim cum sapientissima consilia diuina executione non careant. Ad Dei igitur aeternum consilium respicit *Paulus* et determinationem, quo modo omnia sequi deberent. Vnde *προ* non ad tempus tantum cuiuslibet hominis generationem immediate praecedens sed et ad antecedens creationis omnium s. ad aeternitatem pertinet, cum decreta diuina ab aeterno facta sint. Omnia enim Deus contingentia et eorum successiones, antequam sunt producta, distinctissime perspexit, et ei omnes singulorum mutationes sunt tanquam praesentes. Hinc simul id innuit *Paulus*, Deum tempora haec non arbitrarie instituisse sed singula quasi diiudicasse et eorum ac vniuersi vtilitati res accommodasse, vt suo ordine succedant et pereant, quo ipso omnis fatalis eius necessitas tollitur.

## §. XX.

Restat adhuc secunda locutio *καὶ τὰς ὁροθεσίας κατοικίας αὐτῶν*, cuius verba figillatim iterum perpendenda. Primum est *κατοικία* hominum, quod hic iterum indicat locum vel regionem vel in solam habitationem vel in possessionem cuiuslibet a Deo concessam. Hoc enim etymologia & usus eius indicat, cum semper de loci cuiusdam inhabitatione adhibeatur, licet alii minus recte id cum Hebreo  $\text{בְּיָמָיו}$  com-

D

pa-